UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd pro ethnico & publicano habendus sit, qui pro peccato commisso poenitere, noluerit. lxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

ſiam non laborat. Permittit tamen dominus laborare electos ſuos, vt rememorentur tribulationum laboris, vnde ſemetipſos cuſtodiant, timentes ne tantos labores amittant. Nam & filios Iſraël ideo Deus per deſertum quadraginta annis circunduxit, vt rememoratis tribulationibus non redirent retrorſum.

Vt nullus epiſcopus ſeu presbyter alterius pœnitentem ſine literis ſui epiſcopi, ſuſcipiat. Cap. LXII.

Ex epiſt. Fœlicis papæ, ca. 2.

CVrandum verò maximè & omni cautela præuidendum, ne quis fratrum coepiſcoporumque noſtrorum, aut etiam presbyterorum in alterius ciuitate vel diœceſi pœnitentem, vel ſub manu poſitum ſacerdotis, aut eum qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine epiſcopi vel presbyteri teſtimonio, & literis, ad cuius pertinet parochiam, ſuſcipiait.

Vt pœnitentes ſecundum canones niſi peracta pœnitentia communicare non debeant. Cap. LXIII.

Ex decre. Pij papæ, cap. 2.

POenitentes non debent communicare ante conſummationem pœnitentiæ.

Quòd pro ethnico & publicano ſit habendus, qui pro peccato commiſſo pœnitere noluerit. Caput LXIIII.

Ex dictis Auguſt.

ERga eum qui pro peccato commiſſo non pœnitent, tales eſſe debemus, ſicut dominus præcepit dicens: Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus, & ſicut Apoſtol. iubet: Subtrahite, inquit, vos ab omni fratre inordinatè ambulante, ſecundum traditionem quam tradidi vobis.

Quòd à licitis ſe abſtinere debeat, qui illicita ſe commiſiſſe meminerit. Cap. LXV.

Ex dictis Gregor. papæ.

QVi ſe illicita meminit commiſiſſe, à licitis etiam ſtudeat abſtinere: quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere debeat etiam conceſſa.

Vt nullus poſt pœnitentiæ actionem ad militiam ſecularem redire debeat. Cap. LXVI.

Ex epiſto. Leonis papæ, ca. 25.

COntrariũ eſt omnino eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiã ſecularem. Cum Apoſtol. dicat: Nemo militans Deo, implicat ſe ſecularibus